

Quaestionum de Theocriti dialecto

Specimen I.

Si magnis laudibus decoramus atque optime de humano genere promeritum esse arbitramur, qui aquas saluberrimas et medendis corporibus aptissimas, sed easdem vepribus sanisque horridis obstructas atque sordibus inquinatis diuque neglectas patefecerit, purgaverit, instauraverit, denique usum et fructum cum aliis communicaverit, nonne is erit eximio honore ornandus, qui fontem illum, ex quo animorum medicina petenda est, qua nulla potest esse efficacior, Graecarum litterarum monumenta dico, aperuerit obstructum, inquinatum sordibus purgaverit, utilitatem atque praestantiam in clarissima collocaverit luce? Ego certe arbitror, quanto praestantiores sint animi corporibus, tanto maiore laude illum decorandum esse, qui animos multis ambagibus per devia vagatos ad rectam viam reflectat eosque diligenti et assiduo praestantissimorum ingenii monumentorum, quae a Graecis omnis humanitatis magistris profecta sunt, studio imbuat atque conformet. Cuius laudis quamvis exiguam partem suo iure sibi vindicant etiam ii, qui multum operae studiique collocant in eiusmodi rebus antiquitatis investigandis, quae per se minoris esse videntur momenti, haudquaquam tamen sunt spernendae aut negligendae: id quod maxime cadit in eas quaestiones, quae in dialectis Graecae linguae diligentius explorandis versantur, quae quidem non solum diligentiae constantiam in verborum formis et terminationibus colligendis componendisque requirunt, sed iudicii quoque subtilitatem efflagitant, copiam doctrinae desiderant. Neque enim is satis recte et perperse poterit de externa orationis linguaeve forma

iudicare, qui verborum significationem, multiplicem sermonis varietatem, omnem orationis colorem, rationem numerorum, multaue alia quae consequuntur, non perspexerit acutius animoque fuerit complexus. Neque enim haec possunt seiuncta per se constare, sed communi quodam vinculo omnia tenentur constricta, ut si unum semoveris aut avulseris, iam cetera neque firmam sedem habere, nec vim suam conservare possint. Denique qui in hanc rem inquirere vult, necesse est cognitam habeat et perspectam omnem vim atque rationem, quam Graeci in his rebus secuti sint (neque enim illi quidquam temere instituerunt); necesse est sentiat quid quoque loco aptum sit atque conveniens, deinde diversitatem temporum et locorum, gentium indolem atque ingenium consideret; necesse est liber sit a praeiudicatis opinionibus, quo possit vera a falsis discernere, repugnantia componere, ambigua illustrare; denique vacet nimia illa curiositate, quae nihil non explorare gestit et prae nimio studio in caeca irruit pericula, dum infirmis fundamentis superstruit pro arbitrio ficta atque commenticia: multa enim in his quoque rebus sunt, quae penitus ignoramus, et saepius multo exhausto labore, omnibus latebris pervestigatis, eo nobis regrediendum est, ut nos nihil scire nisi id ipsum libere confiteamur.

Hoc magis autem necessariae hae sunt quaestiones, quoniam Graeci, cum omnis oratio constet ex re atque ex verbis, utrumque pro ingenii natura pari diligentia coluerunt: viderunt enim, quanta vis in ipsis verbis sit, quae si fuerint neglecta aut minus prudenter adhibita, ne res quidem ipsa suam retinebit vim aut lumen conservabit. Et omnino ut vere dicam, nullo pacto externa species ab argumento segregari potest: aeterna enim veritatis species, quae poetae animo observatur, si foras prodit in luminis auras, formam sibi convenientem, aptam, congruam induit. Itaque in Graecorum scriptorum operibus dicendi genus fere consequi institutam sententiam animadvertimus, ex qua re mirabilis consensus

concentusque oritur; quem conturbatum aut penitus sublatum videtis, si externa species minus congruat cum instituta sententia. Iam igitur nemo dubitabit, quin utilem laborem is suscipiat, qui pulcram illam speciem evanescentem atque situ obsoletam renovare pristinumque nitorem restituere conatur. Id quod quam maxime cadit in Theocriti et reliquorum poetarum, qui in pari argumento elaboraverunt, opera. Haec enim antiquitatis monumenta magis quam ulla alia iniquitatem temporis experta sunt: tot enim tamque foedis naevis forma pulcherrima est deturpata, ut saepenumero vix lineamenta quaedam incerta atque evanida supersint, e quibus coniecturam facias, qualis germana fuerit species: quo difficilius est haec ad pristinam revocare formam, praecipue cum subsidia extrinsecus posita ita sint comparata, ut non nimis illis sit tribuendum. Viri autem docti, qui operam suam in expoliendis horum poetarum operibus collocaverunt, si ab editore novissimo paucisque aliis discesseris, ut ingenue fatear, saepe plus etiam obfuisse quam profuisse videntur. Nam cum praeiudicatas quasdam opiniones sequerentur et ex his regulas quasdam deducerent, ad quas illa litterarum monumenta conformarent, fieri necesse erat, ut in errores delaberentur, ex quibus nunquam potuerint se expedire. Alii vero ne operam quidem dederunt, ut certas quasdam leges investigarent, ad quas totum hoc negotium dirigerent, rati ut videtur hos poetas temere neque legi certae adstrictos in hoc genere carminum versatos esse. At haec quidem opinio quum sit indigna Theocrito ceterisque eiusdem operis aemulis nihil adtinet perstringere. Hi igitur homines docti, quum neque de singulis recte satis iudicavissent, neque de universa specie verisimilem sibi informassent imaginem, saepissime a vero aberraverunt: id quod maxime in has ipsas de dialecto quaestiones cadit.

Prima autem haec lex stet firma atque fixa, necesse esse ut animi imago (si ita dicere licet) cum effigie, materies cum

forma, argumentum cum tractatione congruat: quod cum in ipsa omnium rerum natura sit positum, neque enim casu aut temere illa imago foras quasi prosilit, sed sua sponte se fingit formamque sui imitatricem induit, tum maxime in Graecorum ingenii monumentis conspicuum est, qui ita essent nati, ut quidquid animo et cogitatione comprehendissent, id commode et pulcherrime fingerent ac formarent. Quare illud existimandum est, etiam bucolicos poetas genus atque externam formam sermonis diligenter accurateque aptavisse instituto atque argumento. Iam si quis certi quid de dialecto horum poetarum statuere, si omnem disputationem recte atque ordine procedere vult, prius ipsum genus carminum quale fuerit perspexerit necesse est. Et illud quidem non obscurum est, Bucolica carmina propria Doriensibus fuisse: primae autem origines videntur ex Laconica terra repetendae esse, quantum quidem conici potest ex iis, quae Diomedes memoriae prodidit (vid. Gaisford. ad Hephaestion. p. 435. ed. Lips.): „Bucolica dicuntur poemata secundum carmen pastorale composita. Instituta autem sunt, sicut quidam putant, in Laconia, vel ut alii in Sicilia. Nam inter Lacedaemonios et Siculos varia fuit conditio. Sed quod ad Laconas adinet, haec eorum fuit origo. Quo tempore adventante Xerxe omnes deserta Laconica metu barbarorum perterriti in diversas partes fugisse creduntur, et cum virgines timore laterent, ex hoc evenisse, ut eo die, quo solitus erat chorus virginum Dianae Caryatidi hymnum canere, nemo ad solemne sacrum inveniretur. Tunc itaque pastores ex rure in urbem convenerunt, et ne ritus sacrorum interrumperetur, pastorali carmine composito Deae honorem celebraverunt, unde etiam *βουκολισμός* dictus.“ Sunt haec sane fateor incerta et satis confusa: illud tamen ex his fabularum involucris iure elicias, in Laconica terra eiusmodi carmina, rudia illa quidem, ut consentaneum est, nec ad artis regulas composita cantari solita esse: antiquissimam certe hanc poesin esse crediderim. Grae-

caae autem gentes cum ex Peloponneso in Siciliam se contulissent, ibique domicilium posuissent, simul etiam illum morem in istam insulam transtulisse videntur. Et in Sicilia quidem pastores, quorum magna multitudo saltus atque montes incolabat, has cantilenas videntur frequentavisse: conferas Athenaeum XIV. p. 619. A: Ἦν δὲ καὶ τοῖς ἡγουμένοις τῶν βοσκημάτων ὁ βοσκολιασμός καλούμενος. Δίολμος δὲ ἦν ὁ βούκολος Σικελιώτης ὁ πρῶτος εὐρῶν τὸ εἶδος. Μνημονεύει δ' αὐτοῦ Ἐπίχαρμος ἐν Ἀλκύνῳ καὶ ἐν Ὀδυσσεῖ ναυαγῶ. Permira quaedam de his refert Diomedes eo loco, quem dixi: insunt tamen falsis et confictis vera quaedam vel veri certe similia, sed haec accuratius persequi alienum est ab instituto nostro. Et Stesichorus Himerensis pastoralia illa carmina ad artis aliquam formam redegit videtur, quod quidem probabiliter coniciamus ex iis, quae Aelianus de Daphnidis morte Varr. Hist. X. 18 dicit: Ἐκ δὲ τούτου τὰ βοσκολικὰ μέλη πρῶτον ἦσθη καὶ εἶχεν ὑπόθεσιν τὸ πάθος τὸ κατὰ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ καὶ Στησίχορον γε τὸν Ἱμεραῖον τῆς τοιαύτης μελοποιίας ἀπέρξασθαι. Sed ut hoc in medio relinquam illud quidem apparet hoc poesis genus non Alexandrinorum demum seculo inventum esse, sed eius initia quamvis tenuia et obscura ex gentis graecae antiquitate repetenda esse: namque hoc omnino est Graecorum ingenium, ut et primi et soli omnium artium incrementa ex sese procreaverint aut reperta ab aliis multo praeclarius auxerint, etsi non omnia eodem studio atque successu incoluerunt et perfecerunt. Et hanc quidem artis speciem cur minus probaverint Graeci, sane aliquis poterit mirari. Sed qui accuratius Graecorum ingenii monumenta consideraverit lustraritque, is facile animadvertet, in antiquitatis operibus quae et poetae et artifices finxerunt, admodum raro rerum naturae imaginem exhiberi; quam si quando repraesentatam videris, illum certe vigorem, illud mentis quasi lumen, quod in perfecto omnibusque numeris absoluto eiusmodi opere exsplendescere volumus, qualia

multa et egregia recentior tulit aetas, aegre desiderabis. quae quidem res fortasse eo magis nos offendere possit, quoniam et apud Graecos et apud Romanos artes in iis regionibus laetissime floruisse videmus, quae omnibus bonis naturaeque rerum muneribus ornatae et cumulatae essent: neque his commoditatibus quanta vis inesset, acutum et subtile Graecorum ingenium potuit latere, qui saepenumero non sine iactatione quadam praedicent, se praeter ceteros benignam naturam expertos esse: divinam enim providentiam ita instituisse, ut ipsi in pulcherrimo et commodissimo totius orbis terrarum loco essent collocati. Altius igitur repetendae sunt causae istius religionis, quae Graecorum animas ita tenuit, ut ipsam rerum naturam repraesentare paene reformidarent. Ante omnia illud tenendum est, inveteratum quoddam gravissimumque discidium Graecos inter atque Orientis populos intercedere, ita ut Graeci etsi prima fere omnium artium litterarumque incrementa ab illis acceperint, penitus tamen ea immutarent ac refingerent, omninoque dispari prorsus essent ingenio ac moribus. Natura enim, uti in Orientis plaga miris modis luxuriat et insignem rerum varietatem ex sese prognerat, ita etiam hominis animum vinculis quasi constrictum tenet, ut humi serpat nec se altius efferre aut liberiores ducere spiritum audeat. Graeci autem, qui in regione collocati essent, quae sapientissimo temperamento hominum animos neque retardaret pinguesve redderet, neque vero nimis incitaret suprave modum incenderet, se ab huius necessitatis vinculis liberaverunt: viderunt enim rerum naturam ab humano animo penitus diversam et diremtam esse: itaque hanc tanquam inferiorem, caecaeque necessitati parentem, tanquam alienam et peregrinam a se segregarunt: hominis autem animum tanquam liberum, tanquam rerum omnium dominum unice amplexi sunt: quapropter etiam in Graeciae artis monumentis animi natura dominatur, quae quidem ut foras quasi prodiret et sub oculorum adspectum

caderet, externa specie indigens, humanam formam, quippe in qua sola animus liberrime vim suam posset exserere, sibi induit. Hinc Graecorum et artifices et poetae etiam rerum naturam si quando repraesentare studuerunt, semper ad humanam speciem redigere coacti erant, quoniam tum denique ea dignitas atque venustas illud libertatis quasi lumen accedebat, quod Graeci maxime adamabant. Verum Graeci, cum naturae vim infinitam et admirabilem tum demum mente et animo comprehendere possent, ubi humanam imaginem ei conciliassent, nunquam aut admodum raro naturae sanctitatem illam atque venerationem sensu perceperunt. Itaque non mirum, si antiquitus agrestis illa Musa, quae certe ex parte in rerum naturae imagine repraesentanda versatur, neglecta iacuerit. Alexandri demum aevo, cum Graeci ad Orientis extremam plagam penetravissent, discidiumque illud, quod tamdiu gentes illas diremerat, ex magna parte sublatum esset, indeque nova rerum et humanarum et divinarum conformatio oriretur, Graeci quoque ad rerum naturam mente percipiendam propius accesserunt eiusque simulacrum quoddam animo informare studuerunt. Itaque illo tempore, quod Alexandri aevum proxime insecutum est, Graecarum quoque litterarum ratio penitus est immutata: nam cum plerique desperarent se eam laudem assequi posse, quam priores nacti erant, idem experiri volebant et tritis viis relictis novas quasdam et inusitatas indagabant, quamquam sane multa videntur nova esse, quae pervetera sunt, sed quoniam altius sunt repetita, plerisque incognita esse solent: illud vero omnino tenendum est, illo aevo omnia, quae ab maioribus erant tradita, consumpta penitus et perdita fuisse: nova igitur erant undique conquirenda incrementa, quae in illorum, quae consumpta erant, locum substituerentur: atque haec quidem ex Oriente maxime petiverunt. Eo igitur tempore Theocritus, vir ingenii ubertate pariter atque sensus subtilitate insignis, primus, ut videtur, agrestiores Musas resuscitavit: canti-

lenas enim illas, quae in vulgi maximeque pastorum erant ore, ad artis normam redegit, ita tamen rem administravit, ut vividissimis coloribus omnes res depingeret atque sub oculorum adspectum subiiceret, quasi illae non narrarentur, sed agerentur. Theocriti autem exemplum mox aemuli multi secuti sunt. Hanc autem bucolici carminis simplicitatem ut tanto studio sectarentur, illud quoque opinor effecit, quod regum superbia et magnificentia, licet artes liberales summis honoribus ornaret, non tamen poetarum desideriis potuit satisfacere: itaque ut ab hac importunitate se liberarent, animos ad rerum naturam lustrandam simplicemque hominum agrestium vitam contemplantam adverterunt. Sed nolo haec pertractare accuratius: sentio enim iam longius me lapsum esse quam decebat.

Theocriti autem carmina, quae sub idylliorum nomine circumferuntur, cum varii sint argumenti, ante omnia id est agendum, ut diversa genera separentur ac dispescantur, quo melius de externa horum carminum specie atque forma possit iudicari. Ac primum quidem locum obtinent carmina ea, quae sola propter argumentum *bucolica* dici possunt, in quibus poeta res e vita pastoricia petitas exhibet atque describit. Ita autem poeta in his carminibus novandis (permulta enim ex popularibus videtur cantilenis hausisse) versatus est, ut anti-quam indolem quam potuit fieri maxime conservaret, rudicitatem autem illam atque rusticitatem artis suavitate et lepore temperaret. Cum autem pastorum potissimum mores atque conditionem repraesentaret, etiam sermonem, quo illi uti solebant, fidelissime servavit. Pastores autem Siculi, cum potissimum a Doriensibus colonis genus deducerent, dorica quoque utebantur dialecto; quamquam enim illa quidem ut fit diuturnitate temporis proque loci natura paullatim in Sicilia fuit immutata, germanam tamen indolem maxima ex parte retinuit: neque enim omnino ullam Graeciae gentem reperies, quae maiorum mores, instituta, sermonem fidelius

conservaverit, quam Dorienses. Hinc Theocritus quoque in his carminibus Dorica illa dialecto usus est, quae Doriensibus fuit propria; neque profecto quaequam dialectus aptior fuit tali argumento: recentior enim sermo Doricus, cum nec effeminatus esset, nec nimis horridus, nativa autem quadam simplicitate commendaretur, unice fuit accommodatus ad imaginem pastoricae vitae repraesentandam. Erraverit tamen, qui existimet poetam ubique in his bucolicis carminibus eodem tenore sermonis usum esse: nam agrestiorem illum sermonem tum potissimum usurpat, cum ipsos pastores inter se colloquentes inducit: verum ubi illos fingit carmina quaedam canere, aut ubi descriptio rei longior aliave narratio inseritur carmini, ibi politior est oratio elegantiorque ornatus. Bucolica autem carmina sunt I. III—XI. XX et XXVII. Quae in his carminibus repraesentantur, ea omnia in Sicilia aut Italia inferiore aguntur. Eodem retulerim etiam carmen XXIII, etsi id multum a ceteris discrepat.

Ad secundam classem refero carmina *mimica*, in quibus Theocritus Sophronem ducem non infelici successu secutus est. Cum autem mimorum haec sit ratio, ut mores atque vita hominum inferioris potissimum ordinis exhibeantur, ita quidem, ut res quasi ante oculos agatur, nihilque aliud sit nisi imitatio vitae communis, sermo quoque talis est, qui conveniat hominibus infimo loco natis. Quare Theocritus, Sophronis vestigia in hac quoque parte secutus, eo sermone usus est, qui vitae quotidianae simplicitatem et negligentiam referret. Huc autem pertinent carmina II. XIV. XV. XXI. Horum igitur carminum dialectus plane accedit ad eam, quae in bucolicis carminibus reperitur: est enim dorica. Ceterum huic doricae dialecto admixta sunt quaedam vestigia aeolici sermonis: neque tamen poeta plane pro arbitrio haec omnia videtur admisisse, sed videntur iam antiquitus quaedam reliquiae Aeolensium sermonis doricae Siculorum dialecto adhaesisse, quoniam Aeolicae quoque stirpis coloni insulam illam

inhabitaverunt. Id quod non prorsus fugit veterem illum grammaticum, qui (vid. ed. Meinekii p. 6. 17.) sic de Theocriti dialecto disserit: *Δωρίδι καὶ Ἰάδι διαλέκτῳ χρῆται ὁ Θεόκριτος, μάλιστα δὲ ἀνειμένη καὶ χθαμαλῇ Δωρίδι παρὰ τοῦ Ἐπιχάρμου καὶ Σώφρονος. Οὐ μὴν ἀπολιμπάνεται καὶ Αἰολίδος* (nisi forte ille grammaticus cogitavit de carminibus XXVIII et XXIX, quae integra aeolica dialecto conscripta sunt;) *ἰστέον ὅτι ὁ Θεόκριτος Δωρίδι διαλέκτῳ κέχρηται τῇ νέᾳ, δύο γάρ εἰσιν, παλαιὰ καὶ νέα. καὶ ἡ μὲν παλαιὰ τραχεῖά τις ἔστι, ἡ δὲ νέα, ἣ καὶ Θεόκριτος χρῆται, μαλθακωτέρα καὶ εὐκολωτέρα.* In his quoque mimicis carminibus Siculos potissimum ut videtur homines induxit: etsi enim non dilucide ubique indicat, cuiates sint, qui loquentes inducantur, vestigia tamen quaedam et notae insunt, ex quibus probabilem facias coniecturam. Ita carmen II ut ad Siciliam referam efficit illa comparatio v. 133:

Ἔρωσ δ' ἄρα καὶ Λιπαραιῶ

Πολλάκις Ἀφαιστοιο σέλας φλογερώτερον αἰθεῖ.

Liparaei enim ignis mentio Siculam maxime mulierem decet: nihil certe ex Delphidis Myndii commemoratione v. 29 et 96 petas, quod huic coniecturae repugnet, quae vel eo firmatur, quod Theocritus in hoc quoque carmine componendo Sophronis aliquem mimum secutus est, vid. scholiast. ad hoc carmen: *τὴν δὲ Θεστόλιδα ὁ Θεόκριτος ἀπειροκάλως ἐκ τῶν Σώφρονος μετήνεγκε Μίμων.* illum fortasse mimum dicit, quem Athenaeus quoque adhibet XI. p. 480. B: *Σώφρων ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ μίμῳ Γυναικες αἰ τὰν θεὸν φαντὶ ἔλεξαν* ubi iam alias emendavi: *ἔλεξαν*: induxit enim ille mulieres, quae cantilenis magicis Lunam coelo deducere tentarent, ita ut Sophron idem prorsus argumentum tractaverit, quod Theocritus in hoc idyllio: et huic argumento satis bene convenit illud, quod Athenaeus ibi adscripsit, fragmentum: *Ἵποκατώρυνται δ' ἐν κναθίδι τρικτύς (sive τριακτύς) ἀλεξιφαρμάκων.* — Porro quae res carmine XIV representantur,

eas in Sicilia agi et per se verisimillimum est et confirmat scholiasta, qui argumento haec subiungit τὰ δὲ πράγματα ἐν Σικελίᾳ. Et hoc quoque carmen ad Sophronei alicuius mimi similitudinem compositum esse videtur, pertinetque fortasse ad eiusmodi mimum illud, quod ex Sophrone affert Apollonius de pronomine p. 285 et 233: Ὡ οὔτος, ἧ οἷη στρατιᾶν ἐσσεῖσθαι; Idyllio autem XV, etsi Alexandriae aguntur Adonia, mulieres tamen, quae colloquuntur, Siculae sunt, vid. v. 90:

Πασάμενος ἐπίτασσε· Συρακοσίαις ἐπίτασσεις;

Ὡς εἰδῆς καὶ τοῦτο, Κορίνθιαί εἰμες ἄνωθεν,

Ὡς καὶ ὁ Βελλεροφῶν· Πελοποννασισὶ λαλεῦμες.

Ἐωρίσθεν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Ἐωριέεσσιν.

estque hoc quoque carmen ad Sophronis exemplum expressum, vid. Schol. Παρέπλασε δὲ τὸ ποιημάτιον ἐκ τῶν παρὰ Σώφρονι θαμένων τὰ Ἰοθμία. Itaque etiam carmen XXI, etsi nulla indicia produnt quo loco res agantur, ad Siciliam refero, et ad Sophroneorum mimorum similitudinem accedere censeo, a quo poeta eiusmodi argumenta tractata sunt saepius. Sed in iisdem his carminibus pariter atque in bucolicis, si quando altius assurgit oratio, poeta cultiore utitur sermone, uti est in carmine XV, ubi Adonidis laudes celebrantur: neque Sicula mulier illud carmen canit, sed Argiva ut videtur, vid. v. 96:

Σίγα Πραξινύα μέλλει τὸν Ἄδωνιν αἰεῖδειν

Ἄ τὰς Ἀργείας θυγάτηρ πολυῖδρις αἰοῖδος.

Omnino autem poeta totam hanc rem aurium iudicio, ut par est, moderatur: quare si quae nimis horrida sunt aut os vastius diducunt, ea fugit ac repudiat.

Tertium genus est carminum, quod *lyricum* proprio nomine appellabo: huc pertinent primo hymni illi in Ptolemaeum, Hieronem, Bacchum, Castorem et Pollucem, item Epithalamium Helenae, vid. Carmina XVII. XVIII. XIX. XXII. XXVI. In his poeta dorica dialecto utitur, non illa quidem humiliore aut agrestiore, sed ea, quae dignitati et

magnificentiae argumenti accommodata est. Dorica dialectus regnat etiam in carmine XXX, quod metro Anacreonteo scriptum est, si tamen illud est Theocriti, cui non omnino audeam abiudicare: Alexandrini enim poetae sedulo carmina ad modum formamque Anacreontis composuerunt, non tamen illi sermonem, quo Anacreon usus talia carmina composuerat, semper retinuerunt, sed more suo Doricae linguae gravitatem Ionicae lenitati admiscuerunt. Ad lyrica carmina refero etiam cårmen XII, quod quidem Ionico sermone compositum est. Denique huc pertinent carmina XXVIII et XXIX, in quibus poeta ut numeros, ita etiam sermonem Aeolensium poetarum studiose consecratus est.

Quartum obtinent locum epica carmina, ad quae referenda sunt idyllia XIII. XXIV et XXV. in his quoque carminibus poeta argumenti gravitatem cum nativa quadam simplicitate atque elegantia coniungere solet, itaque etiam ubi dorico sermone utitur, molliores suavioresque vocabulorum formas adhibet, rudes et inconditas plane segregat. Et in primo quidem et secundo carmine dorico utitur sermone, sed eius gravitatem aliquoties Ionum molliore lingua temperat, in tertio autem carmine, quod quo propius ad epicae poesis naturam ac rationem accedit, eo magis ad externam quoque eius poesis speciem conformatum est, Ionicus regnat sermo, cui quidem cum temperamento admixtae sunt quaedam formae doricae, quibus omnino omnes eius aevi poetae uti solebant, ut gravitatem quandam ac dignitatem orationi conciliarent.

Denique in brevi illa cantiuncula (XIX), in fragmento Berenices, in epigrammatis iis, quae ad bucolici carminis similitudinem proxime accedunt, item in compluribus aliis, quae revera Theocrito tribuuntur, Doricus reperitur sermo.

Quamvis igitur haec Theocriti idyllia et argumenti varietate et totius orationis colore admodum inter se sint discreta atque divisa, tamen necessitudine aliqua atque communi quasi vinculo copulata sunt, saepissimeque poeta diversam carminum

indolem idonea quidem ratione intercedente confundere solet, ita ut reperiantur, quae temperata atque mixta sint ex variis generibus: id quod non solum in argumentis tractandis usu venit, verum etiam in dialectum omnemque carminum externam speciem cadere consentaneum est. Quare subtiliter quaerendum est, quid cuivis loco conveniat: quod cum saepius a solo sensu sit suspensum, non potest non fieri, quin alius aliter de his statuatur. Verum omnium desideriis Meinekius, vir summus, satisfaciet, si ad maiorem quam parat horum carminum editionem ei animum advertere licuerit. Interim ego ex iis quae de Theocriti dialecto non prorsus improbabili-ter mihi animadvertisse visus sum, pauca quaedam et admodum levia delibanda censui, quae licet non satis digna videantur, quae quis in medium proferat, efficient tamen fortasse ut alii quoque meliore successu in eiusmodi res inquirent.

I

Μοῖσα, Μῶσα, Μοῦσα.

Hae tres formae in Theocriti carminibus et in editionibus et in codicibus vulgo leguntur, neque videntur editores de discrimine, quod intercedat, cogitavisse: et tamen usus uniuscuiusque formae suis finibus est circumscriptus. Etenim in iis carminibus, in quibus vulgaris ille horridusque Dorien-sium sermo regnat, ex more *Μῶσα* dicitur, qua forma praeter alios Alcman, doricus poeta, usus est in exordio carminis Fr. IV. ed. Welcker:

Μῶσ' ἄγε, Καλλιόπα θύγατερ Διός.

Ita Theocritus quoque, ut in carmine primo vel ille versus qui usque repetitur, arguit:

Ἄρχετε βωκὸλικᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.

cf. praeter illum versum in eodem carmine v. 9. 20 et 142., quo magis offendit quod v. 144 legitur:

Σπείρω ταῖς Μοῖσαις· ὧ χαίρετε πολλάκι, Μοῦσαι.

quod a carminis indole longissime abhorret, imo legendum *Μῶσαις* et *Μῶσαι*. Eadem forma legitur etiam V. 80. IX. 52:

Ἰρῆκες δ' ἰρηξίν ἐμὴν δ' ἅ Μῶσα καὶ ῥῥά.

ubi nonnulli codd. male *Μοῖσα*: agreste enim est carmen, legiturque *Μῶσα* ibidem v. 28 et 35. ceterum ille versus sic potius legendus est:

Ἰρακες δ' ἰραξίν· ἐμὴν δὲ τε Μῶσα καὶ ῥῥά.

Item *Μῶσα* legitur X. 24. *Μοῖσα* autem, aeolica forma, in iis carminibus obtinet locum, quae plus habent dignitatis venustatisque, uti est in carmine VII, quod bucolicum quidem est, at eo tamen a ceteris differt, quod non vere pastores sunt, qui loquentes canentesque finguntur, sed poetae, Theocritus ipse eiusque aequales, sub pastorum specie delitescentes: itaque aliquanto cultior est sermo, quo illi utuntur. Et *Μοῖσα* quidem legitur v. 12. 37. 47. 84. 95 et 129. *Μοῖσα* legitur etiam Idyll. XI. 6.

Καὶ ταῖς ἐννέα δὴ περιλαμένον ἔξοχα Μοῖσαις.

sed huius quidem carminis ingenio dorica forma (*Μόσαις*) multo melius convenit, nisi forte poeta in exordio, ubi Niciam amicum compellat, elegantiolem praetulit formam. At *Μοῖσα* recte legitur in iis carminibus, quae lyrica appellavi, ut XVI. 58. 69 et 107. Itaque ferri nequit quod ibidem v. 3. legitur:

Μῶσαι μὲν θεαί ἐντι, θεοὺς θεαὶ αἰδοντι.

tu ocius scribas *Μοῖσαι*; et ibidem v. 29 exturbanda est vulgaris forma *Μουσάων*, scribendumque

Μοισάων δὲ μάλιστα τίειν ἱεροῦς ὑποφήτας.

nam quis tandem existimet poetam in uno eodemque carmine temere tres huius verbi formas admisisse? Recte *Μοῖσα* legitur XVII. 1; sed idem restituendum est ibid. v. 115, ubi vulgo *Μουσάων δ' ὑποφήται*. Porro XXII. 221, quoniam lyricum carmen est, *Μοισᾶν* scribendum, vulgo *Μουσῶν*. Vulgari autem forma *Μοῖσα* Theocritus in his carminibus prorsus abstinuit, sed in epigrammatis, ut X. 4 et XX. 4 recte *Μοῖσα* scribitur; *Μοῖσαι* legitur ibid. XIX. 4, si quidem Theocriti hoc est epigramma. Alia autem ratio est eorum vocabulorum, quae a verbo *Μοῖσα* deducuntur: nam in his quidem poeta

neque dorica neque aeolica forma usus esse videtur, ne nimis a communi consuetudine recederet, itaque tuor μουσικός, quod est X. 23, etsi statim subsequitur Μῶσαι. et epigr. X. 3., item μουσίσδω non videtur mutandum esse, licet VIII. 38 codices partim μουσίσδει partim μοισίσδει praebeant: sed XI. 81 omnes ut videtur libri μουσίσδων servant: item μουσοποιός in Epigr. XX. 3 et XXI. 1 recte se habet.

II

Λῆϊον. Λαῖον. Λῆϊον.

Epica forma λῆϊον rectissime legitur in hymno in Ptolemaeum XVII. 78, quam praetulit poeta, quoniam usitatio est, quam dorica λαῖον, quae quidem bis legitur in bucolico carmine X. 21 et 42, ita quidem ut syllabae coalescant:

Οὐ μέγα μνθεῖμαι τὸ μόνον κατάβαλλε τὸ λαῖον.

Δάματερ πολύκαρπε, πολύσταχν, τοῦτο τὸ λαῖον.

at hoc quidem prave scribitur λαῖον, quod graeci sermonis legi adversatur: Eustathius quidem λαῖον tuetur, vid. ad Iliad. II. p. 193: τὸ δ' αὐτὸ καὶ λαῖον δωρικῶς λέγεται. διὸ συνελὼν ὁ Θεόκριτος λαῖον αὐτὸ λέγει, ὥσπερ ἀνθις τὰ λήϊα λῆϊα ποιεῖ ἢ συναίρεσις. sed huius auctoritatem nihil moror. In Theocriti utroque loco λῆϊον scribendum, adque eandem normam ibid. v. 5 corrigas:

Οὐθ' ἄμα λαοτομῆς τῷ πλατίον, ἀλλ' ἀπολείπη.

vulgo λαιοτομεῖς legitur: conferas quae Apollonius Dyscolus apud Bekkerum Anecd. T. II. p. 567. 4 de hac re disserit: Ἄφ' οὗ ἐπιπιεν ἐκ μεταθέσεως τοῦ η εἰς τὸ α ῥαῖδιος καὶ ῥαῖδίως, ἀφ' οὗ κατὰ συναίρεσιν τὸ ῥαδίως, καθὰ καὶ ἐν ὀνόμασι τὸ ῥαῖδιος καὶ ῥαδίος, καὶ Λαῖος καὶ Λῆος. καὶ ὃν τρόπον ἦν τι πάλιν ὄνομα τὸ λῆϊος, ἀφ' οὗ Λαῖος καὶ λαῖον καὶ λαῖα, καὶ ἐν συναίρεσει πάλιν τοῦ α λῆα, Τίς μοι τὰ λῆα ἐκτέλλει, Σώφρων. quo minus dubitem Theocrito λῆϊον et λαοτομεῖν vindicare.

III

᾽Οστέον. ᾽Οστίον.

᾽Οστέον vulgaris forma nunc ubique apud Theocritum reperitur, codicibus quidem non addicentibus: hi enim saepius doricam formam ὀστίον suppeditant, quae in bucolicis carminibus Theocrito restituenda est, ut II. 21 et rursus 62: τὰ Δέλφιδος ὀστίᾱ πάσσω. ita optimus codex Mediolanus K, quem non satis curaverunt homines docti, qui in Theocrito edendo versati sunt. item ibid. v. 90: ᾽Οστί' ἔτ' ἤς καὶ δέγμα ex eodem libro scribendum. Itaque etiam III, 17 corrigendum:

Ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὀστίον ἄχρισ ἕπτει,
quamquam ibi nulla librorum varietas enotata est. IV. 15 plures codices τῶστίᾱ rectissime praebent. At VII. 102 servo vulgarem formam:

Ὡς ἐκ παιδὸς Ἄρατος ὑπ' ὀστέον αἰθεῖ' ἔρωτι.

quoniam hoc carmen elegantiore sermone conscriptum est: eadem forma XXII. 105 et XXV. 261 probanda est, in quibus carminibus epicus sermo regnat. At in epigrammate VI. 6, quod ad bucolici carminis leges proxime accedit, ex cod. K restituendum:

Τί τὸ πλέον, ἀνίκα τήνας

᾽Οστίον οὐδὲ τέφρα λείπεται οἰχομένας;

Solent autem Dorienses etiam in aliis vocabulis ε si subsequitur alia littera vocalis in litteram ι mutare: cf. Apollonius Dyscolus de pronomine p. 324. C: εἶγε τὸ παρὰ Δωριεῦσιν ε εἰς ι μεταβάλλεται, et rursus p. 355. C: Ἔστι καὶ ἡ τιοῦς διὰ τοῦ τ, ἣν καὶ ἀναλογωτέραν ἠγητέον, ἐπεὶ τὸ ε εἰς ι μεταβάλλουσι, φωνήεντος ἐπιφερομένου. Ita inprimis aliquot adiectiva in εος cadentia a Doriensibus immutantur, ut II. 2 ex codd. restituendum est φοινικίῳ οἶος ἀώτῳ. et ibid. v. 30 ex uno libro ῥόμβος δ' ἁλκίος scribendum, et XIII. 39 velim ad eandem normam ἁλκίον ἄγγος ἔχων legere, etsi in libris nulla varietatis vestigia reperiuntur, at firmatur vel eo, quod in eodem carmine v. 5 recte edd. vett. legunt:

Ἄλλὰ καὶ ὤμφιτρούωνος ὁ χαλκιοκάρδιος υἱός.

at XXII. 136, ubi oratio ad epicam dignitatem proxime accedit, omnino servandum quod vulgo legitur *χαλκεοθώραξ*. In Epigrammatis XVII. 3 et XX. 7, utrumque autem dorica dialecto scriptum est, *χάλκεον* libri constanter, ut videtur, exhibent. Eodem pacto etiam Aeolenses *ι* substituunt, ita apud Theocritum XXIX. 12 *εἰν ἐνὶ δένδρῳ* scribendum videtur, certe ibid. γ. 24 ex cod. K aliis restituendum:

Κῆμὲ μαλθακὸν ἔξεπόνησε σιδαρίω.

Eiusmodi multa apud Alcaeam et Sapphonem oblitterata sunt, ita in Alcaei versibus apud Athenaeum XIV. p. 627. A restitutas *λαμπραῖσιν κονίασιν* et *χάλκιοι δὲ πασσάλοις Κρύπτοισιν περικείμεναι λαμπραὶ κναμίδες*. Ut *δένδρῳ* in illo carmine restitui, ita etiam supra XI. 47 in bucolico carmine *ἄ πολυδένδριος Αἴτνα* ex codicum vestigiis corrigendum.

IV.

Ἄλλα. ἄλλᾳ.

Antiquae et germanae verborum formae cum saepissime in his bucolicorum poetarum operibus oblitteratae sint, tum multo saepius idem usu venisse in accentibus consentaneum est: neque vero vereor ea quae a librariis in hoc genere peccata sunt, etiam ubi codices nihil opis suppedient, secundum optimorum grammaticorum praecepta corrigere. Ita ut pauca quaedam proferam, Dorienses, qui gravitatem quandam etiam in vocabulis pronuntiandis sectabantur, multa adverbia ita eloquebantur, ut accentum in extremum vocabulum proiicerent: eiusmodi est, quod Apollonius Dyscolus de adverbio ap. Bekk. Anecd. T. II. p. 586. 31 profert: *Τούτω τῷ λόγῳ καὶ Ἀωριεῖς παντᾶ φασίν, ὅτι καὶ τὸ ἐπίρρημα παντῶς, καὶ ἄλλᾳ, ὅτι καὶ ἄλλῶς*. quae non dubito Theocrito vel invitis libris vindicare, itaque II. 127 in mimico carmine, ubi dorici sermonis integritatem Theocritus sedulo tuctur, non dubito scribere:

Ἐὶ δ' ἀλλᾶ μ' ὠθῆτε καὶ ἅ θύρα εἶχετο μοχλίῃ,

Παντῶς καὶ πελέκεις καὶ λαμπάδες ἦρθον ἐφ' ὑμέας.

ibidem v. 6 ἀλλᾶ restituendum, et XXI. 54 ἀλλῶς καὶ σχολᾶ ἐντι: sed VII. 109 poterit ἄλλως servari. Et παντᾶ quidem etiam codices ubique integrum servaverunt, ut I. 55. VIII. 41 saepius, XV. 6. XXI. 17 et 53. nisi quod postremo hoc loco nonnulli codd. deteriores πάντα exhibent: eo minus igitur dubitandum, quin etiam illud ἀλλᾶ recte Theocrito restitutum sit. Ceterum conferas Apollonium ibidem p. 581. 20: καὶ ὅτι τοῦτο αἴτιον, σαφὲς καὶ ἐκ τοῦ Δωριεῖς συμπερισπᾶν τὸ ἐπίρρημα, ἐπεὶ καὶ τὴν γενικὴν παντῶν φασίν. οὕτως ἔχει καὶ τὸ ἀλλῶς καὶ τηνῶς. τοῦτο γὰρ καὶ ἐνίους ἐπάτησεν ἀποφῆρασθαι ὡς τὰ παρ' ἡμῖν βαρύτερα τῶν ἐπιρρημάτων περισπῶσι Δωριεῖς. ὅπερ οὐκ ἦν ἀληθές. οὕτε γὰρ τὸ κούφως οὕτε τὸ φίλως οὕτε τὰ τοιαῦτα περισπῶσι. διὰ τί οὖν τὸ παντῶς; ὅτι καὶ τὴν ποιούσαν τὸν τόνον γενικὴν περιεσπᾶκεισαν. διότι δὲ τὴν παντῶν γενικὴν περισπῶσι καὶ ἔτι τὴν ἀλλῶν, ἐν ἑτέροις ἐδιδάξαμεν κατὰ τὰς ἀντωνυμικὰς γενικὰς. At contrarium est, quod Dorienses κάλως dixerunt pro καλῶς, vid. eundem grammaticum p. 580. 35: Καὶ ἔτι παρὰ Δωριεῦσιν ἕνα ὀξύνεται, ὥστε κατ' ἐγκλισιν ἀνεγνώσθη. Ἦρα κάλως ἀποκαθάρασα ἐξελεπύρωσεν. quae quidem verba Sophronis esse existimo. Itaque apud Theocritum scribo V. 118:

Τοῦτο μὲν οὐ μένναμι· ὅκα μάν ποκα τυῖδέ τυ δάσας

Εὐμάρας ἐκάθαρε κάλως μάλα, τοῦτό γ' ἴσαμι.

ita enim ille locus redintegrandus; apparet autem Theocritum hic quoque ut alias Sophronem imitatum esse. Ceterum κάλως videtur etiam XI. 6 restituendum esse.

V

Ἐν δέ.

Theocritus praepositione ἐν, subiuncta quidem particula δέ, tanquam adverbio utitur et in bucolico carmine II. 67:

Τᾶ δὴ τόκα πολλὰ μὲν ἄλλα

Θηρία πομπεύεσκε περισταδόν, ἐν δὲ λείαινα.

et non dissimili prorsus ratione in Lyrico carmine XVII. 124:

Ἐν δ' αὐτῶς χρυσῶ περικαλλέας ἦδ' ἐλέφαντι

Ἴδρυσεν, πάντεσσιν ἐπιχθονίοισιν ἀρωγῶς.

Ac videtur idem etiam in alio Lyrico carmine XVI. 78 restituendum esse, ubi vulgo legitur:

Ἦδη βαστάζουσι Συρακόσιοι μέσα δοῦρα,

Ἀχθόμενοι σακέεσσι βραχίονας ἰτείνουσιν

Ἐν δ' αὐτοῖς Ἰέρων προτέροις ἕσος ἠρώεσσι

Ζώννυται, ἵππειαι δὲ κόρην σκεπάουσιν ἔθειραι.

Sed languidum illud et inutile αὐτοῖς nego a poeta profectum esse: corrigas:

Ἐν δ' αὐτὸς Ἰέρων, προτέροις ἕσος ἠρώεσσι.

Praeivit iam Homerus Odyss. II. 340: Ἐν δὲ πίθοι οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυπότοιο Ἔστασαν, et quod propius etiam abest v.

345: Ἐν δὲ γυνὴ ταμὴν νύκτας τε καὶ ἤμαρ Ἔσχεν, et similiter Odyss. XII. 91: Ἐν δὲ τρίστοιχοι ὀδόντες. Secuti sunt,

qui apud Jonas pedestri sermone rerum gestarum memoriam explicuerunt. Pariter lyrici poetae, ut Pindarus Olymp. VII.

5: Ἐν δὲ φίλων Παρεόντων θῆκέ μιν ζαλωτὸν ὁμόφρονος εὐνάς.

Et tragici, ut Sophocles in Ajace v. 675: Ἐν δ' ὁ παγκρατῆς ἕπνος Ἀύει πεδήσας. Saepius Alexandrini poetae et qui

deinceps sequuntur, ut Callimachus in Dianam v. 138: Ἐν δὲ σὺ πολλῇ, Ἐν δὲ καὶ Ἀπόλλων, ἐν δ' οἱ σέο πάντες ἄεθλοι.

Jam vero pronomen αὐτὸς in illo Theocriti loco necessario requiritur, neque illud poterit offensioni esse, quod syllaba brevis producenda est, nam et sub arsin cadit et vocabulum

aspiratum subsequitur. eodem modo supra XV. 90:

Πασάμενος ἐπίτασσε, Συρακοσίαις ἐπιτάσσεις;

et X. 30:

Ἄ αἰξ τὰν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.

sed XV. 100 ubi vulgo legitur:

Δέσποιν', ἂ Γολγῶς τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας

praestat opinor *Ἰδαλίαν*, quomodo Virgilius dixit Aeneid. I. 693

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos.

et rursus X. 51 :

Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera,
Idaliaeque domus.

quamquam idem etiam vulgari forma Idalium dixit, ut Aen. I. 681 et X. 86. Quamquam fuit cum Theocriti illum versum etiam sic tentarem :

Δέσποιν', ἡ Γολγῶς καὶ Ἀκιδάλιαν ἐφίλασας.

Acidalia enim fons satis nobilitatus Boeotiae non solum
Gratiis verum etiam Veneri sacer fuit, itaque Virgilius Aen.
I. 719:

At memor ille (Amor)

Matris Acidaliae paullatim abolere Sychaeum
Incipit.

Fontem illum memorat lyricus nescio qui poeta in Etymol.
M. p. 513. 20 :

*Κιδαλῆς κρηνίδος ἐπλανήθην. *)*

ubi ex Pindaro quoque *χεῖρα Κιδαλῆας* affertur. adde Menophilum apud Stobaeum Eclogae p. 407.

VI.

Νῶϊν. νῶϊ.

Νῶϊν dativo casu rectissime legitur XII. 10: *Εἰ θ' ὀμολοῖ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἔρωτες Νῶϊν, ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν αἰοιδῆ. νῶϊ* autem nominativus est XXII. 175 :

*) Anacreontis fortasse iste versiculus est: *κρηνίδος* autem pro *κρηνίδος* dictum, quae correptio lyricis poetis non fuit inusitata, ita Alcaeus apud Athenaeum XIV. p. 627. A:

*Κρύπτοισιν περικείμεναι λαμπραὶ κναμίδες, ἄρκος ἰσχυρῶ
βέλευς.*

Simonides vel quicumque est apud Plutarch. Moral. p. 798. C:

*Ἐδπρόσωποι σφᾶς παρῴσαν ἔρωτες ναῖας
Κλαῖδος χαραξιπόντου δαιμονίαν ἐς ὕβριν.*

Νῶϊ δ', ἐγὼ Κάστωρ τε διακρινώμεθ' Ἄρηι. At vero in eodem carmine v. 165 idem illud νῶϊ casu dativo dictum est:

Ἄλλά, φίλοι, τοῦτον μὲν ἐάσατε πρὸς τέλος ἐλθεῖν

Νῶϊ γάμου· σφῆν δ' ἄλλον ἐπιφραζώμεθα πάντες.

quod optimorum auctorum consuetudini prorsus repugnat, quamquam sane ejusmodi errores iam antiquitus commissos esse apparet ex Luciano, qui in Soloecista c. 6 id ipsum castigat: Νῶϊ γὰρ δοκεῖ, quocum unum habeo, quod compónam, sed suspectum exemplum apud Euripidem in Iphigenia Aulid. 1207:

Εἰ δ' εἶ λέλεκται νῶϊ, μὴ δὴ γε κτάνης.

Τὴν σὴν τε κάμην παῖδα, καὶ σῶφρων ἔσει.

Sed in Theocriti quidem loco quid scribendum sit, in promptu est: scripserat poeta:

Ἄλλά, φίλοι, τοῦτο μὲν ἐάσατε πρὸς τέλος ἐλθεῖν

Νῶϊ γάμου· σφῆν δ' ἄλλον ἐπιφραζώμεθα πάντως.

et video id ipsum jam occupavisse Schaeferum, qui quidem idoneam rationem non perspexit, et suo more propterea correxit, quoniam πρὸς τέλος ἔρχεσθαι dicendi genus Graecis satis usitatum esse vidit. Aptissimum autem est πρὸς γάμου τέλος ἔρχεσθαι, quoniam γάμου τέλος constanti sermonis consuetudine magno opere commendatur, uti est apud Homerum Odys. XX. 74: Κούρης αἰτήσουσα τέλος θαλεροῦ γάμοιο. Aeschylus in Eumenidibus v. 835: Θύη πρὸ παιδῶν καὶ γαμηλίων τέλους ἔχουσα. Euripides in Phaetonte II. v. 51: Ὀρίζεται δὲ τὸδε φάος γάμων τέλος. Praeterea in Theocrito πάντως scripsi pro vulgato πάντες, quod admodum languidum est.

VII.

Εἰμί.

De hujus quidem verbi variis formis plurima dici possunt, ego pauca quaedam delibavi. Et tertiam quidem personam εἰσὶν Meinekius in priore editione restituere voluit Theocrito XXV. 90, ubi vulgo legebatur:

Ἀτὰρ ἔπειτα βόες μάλα μυρία ἄλλαι ἐπ' ἄλλαις
 Ἐρχόμεναι φαίνονθ', ὥσει νέφη ὕδατόεντα,
 "Ὅσα τ' ἐν οὐρανῷ εἶσιν ἐλαυνόμενα προτέρωσσε
 Ἡὲ Νότιο βίη ἢ Ἐσθρῶος Βορέαο.

quam vulgatam lectionem jure revocavit in novissima editione: firmant vel ea quae continuo subsequuntur:

Ἰῶν μέντ' οὕτις ἀριθμὸς ἐν ἡέρι γίνετ' ἰόντων
 Οὐτ' ἄννυσι· τόσα γάρ τε μετὰ προτέροισι κυλίνδου
 Ἰς ἀνέμου, τὰ δέ τ' ἄλλα κορύσσεται αὐθις ἐπ' ἄλλοις

ubi quod praetereans moneo *πρωτέρωσσε* scribendum puto. Neque vtro illud *εἶσιν* propterea est rejiciendum, quod temporis futuri notio huic verbo propria in hunc locum non cadat. Est enim etiam, ubi hoc verbum temporis praesentis significatum adsciscat, quod quidem in comparisonibus maxime fit. In his enim cum non dicatur id quod futurum est, sed illud potius quod fieri solet, nequit *εἶμι* propriam naturam servare, aut plane abstinendum est huius vocabuli usu. Ite exempli causa Homerus dicit in Iliade II. 87: Ἡὔτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων. et III. 60: Ἀεὶ τοι κραδίη πέλεκυς ὥς ἐστὶν ἀτειρής, "Ὅστ' εἶσιν διὰ θουροῦς ὑπ' ἀνέρος. VII. 208: Σείατ' ἔπειθ', οἷός τε πελώριος ἔρχεται Ἄρης, "Ὅστ' εἶσιν πολεμόνδε μετ' ἀνέρας. XI. 414: Ὡς δ' ὅτι κάπριον ἀμυρὶ κύνες θαλεροὶ τ' αἰζηοὶ Σεύωνται, ὃ δέ τ' εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο. Adde praeterea XIII. 795. XXI. 575. XXII. 26 et 308 et 317. XXIV. 41. Et in Odyssea VI. 102: Οἶη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὐρεος ἰοχέαιρα, et ibid. 150: Βῆ δ' ἴμεν, ὥστε λέων ὄρεσίτροφος, ἀλκι πεποιθώς, "Ὅστ' εἶσ' ὄμενος καὶ ἀήμενος. — Ἦς non ἦν in omnibus carminibus, in quibus vulgarem doricam sermonis consuetudinem poeta secutus est, legitur, uti VII. 1: Ἦς χρόνος, ἀνίξ' ἐγὼν τε καὶ Εὐκρητος — et sic in multis aliis locis: est tamen etiam idonea causa, cur poeta aliquoties formam non doricam ἦν praetulerit: ita II. 78 non recte homines docti ex nonnullis codd. Τοῖς δ' ἦς ξανθοτέρα μὲν ἐλιχρύσοιο γενειὰς scripse-

runt, ubi plerique codices recte ἤν praebent, quod Theocritus ibi semper usurpavit, ubi sibilans littera subsequitur. — Infinitivi duae maxime formae reperiuntur, in quibus magna librorum scriptorum varietas deprehenditur, ἤμεν et ἤμες quas quidem formas homines docti videntur aequae rectas iustasque existimavisse: Vākenarius inprimis et Brunkius mira inconstantia modo hoc modo illud receperunt. At mihi quidem videtur infinitivi illa altera forma ἤμες sive quod non minus saepe codices exhibent εἴμες plane exterminanda esse, quippe quae graeci sermonis naturae repugnet: profecta autem est ex errore librariorum, qui cum vidissent in prima persona numeri pluralis apud Dorienses litteram σ in locum litterae ν succedere, id propter similitudinem etiam in hanc infinitivi terminationem temere transtulerunt; itaque ubique apud Theocritum ἤμεν restituendum esse censeo. Et ἤμεν recte vulgo legitur II. 41, quamquam codd. alii ἤμες alii εἴμες suppeditant, et Meinekius nuper illud ipsum ἤμες edidit. III. 8 ἤμεν legitur, sed rursus alii codd. εἴμεν, K ἤμες, probante Meinekio. IV. 9 ἤμεν, sed K et alii εἴμεν, quod recepit Meinekius. VII. 86 ἤμεν etiam Meinekius, sed codd. partim εἴμες partim ἤμες. ibid. v. 129 omnes editores per mira inconstantia ἤμες, in codd. nonnullis εἴμεν legitur, at hic quoque ἤμεν restituo, pariter atque VIII. 73, ubi omnes ἤμες, pauci codd. ἤμεν, εἴμες vel denique εἴμεν. XI. 50 ἤμεν sine lectionis varietate legitur, Brunkius tamen ἤμες edidit. XIII. 3 ἤμες legitur, sed ex nonnullis codd. ἤμεν corrigendum, alii εἴμες et εἴμεν. XIV. 6 ἤμεν legitur, sed multi codd. ἤμες et εἴμες, quorum prius probavit Meinekius. idem vero ibid. v. 25 ἤμεν edidit, quamquam ibi quoque aliquot libri ἤμες praebent: rursus ibidem v. 29 sine lectionis varietate ἤμες legitur, quod non dubitanter corrigo ἤμεν.

VIII.

Εἶς. ἤς.

Εἶς vulgo nunc ubique in Theocriti carminibus legitur,

et in bucolicis et in ceteris: at vero in iis, in quibus vulgaris doricus sermo regnat, alia forma communi sermonis consuetudini propria ἤς restituenda est, quam plures libri servaverunt XI. 33:

ἤς δ' ὀφθαλμὸς ἔπεστι, πλατεῖα δὲ ῥίς ἐπὶ χεῖλει.

Eadem forma bis ex tribus codd. revocanda est supra VII. 71:

Ἀλλησεῦντι δέ μοι δύο ποιμένες, ἤς μὲν Ἀχαρνεύς,

ἤς δὲ Λυκωπίτας· ὃ δὲ Τίτυρος ἐγγύθεν ἄσῃ.

Hanc formam recentiori doricæ dialecto vindicat Grammaticus Cramerī Anecd. T. I. p. 171: *Φυλάττουσι δὲ τοῦ εἰς τὸν δίφθογγον καὶ Αἰολεῖς καὶ Δωριέων οἱ παλαιότεροι. παρὰ γὰρ Ῥίνθωνι ἐτραπή. Οὐδ' ἤς κ' ὤων. ἀντὶ τοῦ οὐδὲ εἰς. —*

IX.

Λέλογχα. Λελόγγω.

Solet Theocritus ex more Siculorum perfecta ad modum praesentium flectere, quae consuetudo Syracusanis propria fuit, vid. praeter alios grammaticos Cramerī Anecdota T. I. p. 212: et ob id ipsum, quoniam ista forma prorsus Dorica est, etiam ubique diphthongus *ει* litterae *η* cedit, ita quod est in bucolico carmine IV. 40:

Αἰαῖ τῷ σκληρῷ μάλα δαίμονος, ὃς μ' ἐλελόγχει

quod vulgo legitur, ex pluribus codd. corrigendum ὃς μὲ λελόγχει: estque id ipsum etiam VII. 103 ex duobus codd. restituendum, ubi vulgo *λελόγχας* vulgaris forma legitur:

Τὸν μοι Πάν, Ὀμόλας ἐρατὸν πέδον ὅστε λελόγχης.

Ejusdem generis est V. 28 *πεποιθή*, quod Meinekius jure recepit. Item perfectum non plusquamperfectum est, quod legitur IV. 7 in omnibus libris (nisi quod pauci *ὀπάπει* praebent):

Καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὀπάπη;

Simillimum est *πεφύκη*, quod legitur V. 35 (hic quoque nonnulli codd. *πεφύκει* exhibent,) et 93, ubi eadem lectionis varietas, et rursus XI. 1, ubi vulgo *πεφύκει*, sed optimus co-

dex K *πεφύκη*. At XIII. 40 *πεφύκη* plusquamperfectum est: uti *ἐφύκη* (sic pro *ἐφύκει* scribendum) VII. 14. et *λελοίπη* I. 139, ubi vulgo *λελοίπει*, nam in plusquamperfecto quoque littera η Theocrito vindicanda. Vulgarem autem perfecti formam Theocritus I. 46 servavit:

Πυρναίαις σταφυλαῖσι καλὸν βέβριθεν ἀλώα.

ne hiatu deturparet numeri elegantiam. Sed ibid. v. 86 sane nescio an pro illis *νῦν δ' αἰπόλῳ ἀνδρὶ ἔοικας* sit *ἐοίκης* scribendum: sed noluit opinor poeta in verbo tam usitato insolenti uti forma. Prima autem persona ad modum praesentis ficta legitur XV. 86: *δεδοίκω*.



X.

Ποσειδάων. Ποτίδαν.

Ποσειδάων quae forma omnibus omnino poetis usitata est Theocritus in mimico carmine dicit XXI. 54:

Μή τι Ποσειδάωνι πέλοι περιλαμένος ἰχθύς.

hanc enim formam heroicus versus exigebat, cujus legibus saepius poeta cessit; Dorienses enim *Ποτείδαν* vel *Ποτίδας* dixerunt, uti Epicharmus apud Herodianum *περὶ μου.* λέξ. p. 10. 29:

Τοῦ Ποτειδανος δὲ χρηστὸν υἷὸν ἵπποκάμπιον.

et altera forma usus est ibidem:

Ναὶ τὸν Ποτίδαν, κοιλότερος ὄλμου πολύ.

adde Sophronis et Eupolidis ex Helotis locos apud eundem grammaticum. *Ποσειδάων* recte legitur XXII. 97 et 133, quod carmen ad epicam poesin proxime accedit: at videtur alio quoque loco Neptuni nomen propter insolentiores formas obliteratum esse: in aeolico enim carmine XXVIII. extremos versus vitio laborare perspexit Hermannus, sed non videtur eos probabiliter restituisse: vulgo autem sic leguntur:

Κεῖνο γὰρ τις ἐρεῖ τῷ, ποτίδαν σ', ἧ̄ μεγάλη χάρις

Δώρη ξὺν ὀλίγῳ. πάντα δὲ τιμᾶντα τὰ πάρ φίλων.

quae mihi quidem ita videntur corrigenda esse:

Κῆνο γὰρ τις ἐρεῖ σ'. Ὡ Ποτίδαν, ἧ μεγάλη
 χάρις

Δώρω ξύν γ' ὀλίγω, Πάντα δὲ τιμᾶντα τὰ παρ φίλων.

Hoc enim dicit poeta: „Hoc enim de te aliquis fabitur: O
 Neptune, magna sane gratia parvo munusculo habetur.«

Alcaeus sane apud Herodianum ibid. dixit Ποσειδᾶν· Οὐδέ-
 πω Ποσεῖδαν Ἄλμυρόν ἐστυφέλιξε πόντον. at non ita dori-
 cus sermo ab Aeolensium dialecto diremtus est, ut non licue-
 rit Theocrito in Aeolico carmine Ποτίδαν dicere: quod syl-
 laba media correpta proferri ne mireris, vid. Anacreon Fr. VII.

Scrpsi Halae.

Theodorus Bergk.